



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exhortatio Ad Reditvm In Catholicam Ecclesiam, Ovicvlis Christi, Gevsiaa Tempestate Per Hollandiam Et Vicinvm Belgiov Misere Dispersis**

**Lindt, Willem van der**

**Coloniae, 1577**

**VD16 L 1932**

14. Cum Lutheranis facile admodum esse super Sacrificio missae negotium, qui suis conuicti verbis, coguntur illud agnoscere propitiatorium. quia sine expresso verbo Dei fatentur illam esse Eucharisticum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31553**

fuerunt, contra negantem principia non esse disputandū. His impiorum igitur Sacramentariorum quotquot censentur nomine, aliud hic nihil est opponendum, quam quod D. Hilarius ante annos 1300. Christianis vere Catholicis scriptum reliquit. De veritate carnis, inquit, lib. 8. de Trinitate, & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius domini professione, vt fide nostra vere caro est. & vere sanguis: & hæc accepta & hausta efficiūt, vt nos in Christo, & Christus in nobis sit. Eucharistia enim est caro saluatoris nostri Iesu Christi (vt ait D. Ignatius martyr, referente D. Theodoro to Dialo. 3.) quæ passa est p peccatis nostris, quã pater sua bonitate resuscitauit.

## Caput XIII.

*Cum Lutheranis facile admodum esse super Sacrificio Missæ negotium, qui suis conuicti verbis, coguntur illud agnoscere propitiatorium. quia sine expreso verbo Dei, fatentur illam esse Eucharisticum sacrificium.*

**R**o inde impijs Sacramentarijs hoc certamine nunc *Missam esse sacrificium propitiatorium.* submotis, superest nobis cum Lutheranis lucta, de quibus facilis cuilibet fratrum catholicorum fuerit victoria, modo suis ipsi disertis Apologiae Confessionis suæ Augustanæ verbis stare velint. Si enim suo iugulentur gladio, nihil est periculi, ne imperitorib. nostris fratrib. amplius noceāt. Professi verū Christi Domini corpus esse in SS. Eucharistia (cui suū pistoriū audacia nefaria affingunt panē, quē contra oēm orthodoxorū Patrum sensum, & SS. Conciliorū definitionē, volūt, post spiritus sancti sanctificationē, siue cōsecrationem, permanere reliquū & immutatum: de quo alius erit differendi locus) negant esse sacrificium ppitiatoriū, siue quod pro peccatis Deo Patri debeat quotidie immolari. Nos catholici ex consentanea veterum Patrum doctrina, & perpetua Ecclesie Christianæ Apostolicæ & Catholicæ traditione, atque liquido Christi Domini exemplo, ipsis opponimus manda-

ditum Saluatoris nostri Christi: qui & suo ore, & Spiritus sancti magisterio Apostolos, eorumque discipulos Christianos ita toto terrarum orbe faciendum, iuxta diserta Prophetarum oracula, docuit. Testimonia huius rei qui desiderat, ex nostro Apologetico petat: nimirum & Christum Dominum in cœna suum corpus Deo Patri, ad implendum, teste D. Cypriano cum toto veterum P.P. Senatu, sacerdotis typici Melchisedech sacrificium, obtulisse: & patres nostros omnes veteres orthodoxos, apud omnes ubique Christianorum Ecclesias, concorditer pro peccatis, non modò viuorum, sed fratrum etiam piè defunctorum religioso semper obsequio immolasse. Quod si huius rei expressum ex diuina scriptura postularint testimonium: nos ipsorum armis nostram facile ac indubiam victoria tuebimur doctrinam Apostolicam: nimirum eodem Dei verbo nos Missam, quam pia nostrorum maiorum voce dicimus, siue Sacrificium corporis Domini in Missa, & sacra illa Ecclesiæ Christi actione, esse propitiatorium: quo ipsi suis affirmant, & in Confessione Augustanæ Apologia profitentur esse Eucharisticum. Quod dogma si putant tanquam euangelicum tuendum & defendendum, ne alieni ab omni Christianæ Ecclesiæ specie pijs videantur: certè multo iustiori de causa Propitiatorium est obtinendum & propugnandum SS. Missæ Sacrificium: quod de alterutro nihil disertè loquatur diuina scriptura. Sed orthodoxi Patres nostri, ab Apostolis Euangelicæ veritatis magistris rectè instituti, vtrumque nobis suæ fidei Christianæ posteris id bona fide tradiderunt, quemadmodum ipsi diuino ipsorum ore accepissent, & exemplis non obscuris, factisque ipsorum toto Christiano orbe coruscantibus didicissent.